dicitur & dominus noster ihesus sermo; Seruus praecedit dominum; initium
euangelii ihesu christi filii dei. Ergo non filii ioseph. initium euangelii
finis legis est finitur lex & incipit euangelium sicut scriptum
est in esaiam propheta; Ecce mitto angelum meum ante facie
tuam qui praeparabit uiam tuam sicut scriptum in esaiam. quan
tum in memoriam est & in mea mente pertracto tam septuaginta
interpraetes quam hebraeorum uolumina diligentissime uenti
lans numquam hoc in esaiam propheta scriptum esse reperire po
tui quod ponitur. ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam.
Sed in malachie prophete fine scriptum est. Sic autem in malachia
fine scribitur quomodo nunc marcus euangelista ponit sicut scrip
tum est in esaia propheta. euangelistae de spiritu sancto locuti sunt. marcus
iste qui scribit non paruus est. denique petrus apostolus in epistola
sua; Salutat uos ille cum electa & marcus filius meus. o apostole petre
marcus filius tuus filius non carnis sed spiritus structus spiritalibus
hoc ignorat & quod alibi scriptum est alibi memorat sicut scriptum est
in esaiam prophetam. ecce mitto angelum meum ante faciem tuam.
locum istum impius ille porfyrius qui aduersum nos conscripsit & mul
tis uoluminibus rabiem suam euomuit in quarto decimo uolumine dis
putat & dicit. euangelistae tam inperiti fuerunt homines non solum
in saecularibus sed etiam in scripturis diuinis ut testimonium quod
alibi scriptum est de alio poneret propheta in hoc ille obicit. Nos ergo quid
ei respondebimus orationibus uestris iste mihi uidetur solutio. sicut
scriptum est in esaiam quid scriptum est in esaia propheta uox claman
tes in deserto parate uiam domini rectas facite semitas eius hoc in esaia scrip
tum est. expositio autem ht inquit iohannis baptista de quo etiam malachias
dixit. ecce mitto angelum meum ante faciem tuam qui praeparauit
uiam tuam. ergo quod dicit scriptum est ad hoc capitulum refertur.
uox clamantes in deserto parate uiam domini rectas facite semitas eius;
ut autem probaret istum esse angelum qui missus est induto ex suo pro
ht capituli in alio propheta melius dicitur & ipse dicit euangelista iste est

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0192